

7.6i.

SPECIMEN PHYSIOLOGIAE PLANTARVM I.

Q V O

D V B I A

C O N T R A
V A S O R V M I N P L A N T I S
P R O B A B I L I T A T E M

P R O P O N V N T V R :

Q V A E P R O G R A D V M A G I S T R I

C O N S E N S V A M P L I S S I M A E F A C V L T A T I S P H I L O S O P H I C A E
P V B L I C E D E F E N D E T

C. F. J A M P E R T. M. D.

H A L A E D I E 15. O C T O B R. M D C C L V.

E X O F F I C I N A F Ü R S T E N I A.

8.

MANIBVS
ILLVSTRIS
HAMBERGERI
PHYSICI, MATHEMATICI AC MEDICI SVMMI.
MERITIS
ILLVSTRIS
DARIESII
PHILOSOPHI GENVINI, SVMMI.
VISIS, AVDITIS,
PATRIBVS, PRAECEPTORIBVS, FAVTORIBVS
SVMMIS
QVIBVS OMNIA MEA PHILOSOPHICA
AC
MEDICA DEBEO.

NEC NON
LINNAE O,
LVDEWIGIO,
KAESTNERO,
GLEDITSCHIO

BOTANICIS AC MEDICIS
SVMMIS, FAMIGERATISSIMIS,
NVMQVAM VISIS, NVMQVAM AUDITIS
SED
SCRIPTIS EGREGIIS DOCENTIBVS,
QVIBVS
BOTANICAM OMNEM
DEBEO.

NOTA
CENSUS DE SVMMARIA
TERRITORI ILLI

POEN

OMNIBVS,
FAMA ET GRATIIS DIGNISSIMIS
PAGELLAS HAS
LOCO PRAEMII
MVNERVM NVMQVAM ALITER REMVNERANDORVM
D. D. D.

A V C T O R
RESPONDENS ET PRAESES
C. F. JAMPERT.

PROOE.



PROOEMIVM.




Circumstantiae a me exigunt, ut iamiam novis specimenibus academicis cathedram ascenderem. Thema physicum, eligendum erat, pro themate inauguralis Dissertationis. Dubius diu haesitare nequivi, cum vix indictio, præparatio & elaboratio quatuor dies admitteret. Semper ad manus est congeries thematum, nondum sufficienter elaboratorum, Auditoribus dilectissimis, qualibet data occasione, inculcanda, ne animi cupidi & studiosi, themata nova ignorantes, crambem his coctam, recoquere sint coacti. Dendum vero est, elaborationem talum thematum tum vires nostras saepius transcendere, tum integrorum amorum continuatas observationes requirere; hinc per pauca ex abrupto elaboranda restant. Eorum e numero elegeram per arduam situs plantarum verticalis ad horizontem explicationem physicam pro themate inauguralis, pro habilitationis vero, connexam arctissime theoriam plantarum scandentium suscepeream. Materia quidem pro explicatione dictorum phoenomenorum non deerat, ast experientiae & observationes sufficietes desiderabantur. Interim laborem suscepeream. Sed quum in elaboratione dicta ad istam pervenisset

PROEOMIVM.

paragraphum; ubi vasa exhibenda essent in plantis, definitio-
nem logicam quae sivi, non reperi, ipse induxi. Mox de demon-
stratione praesentiae vasorum sollicitus denuo haesitabam, ad ma-
nus praesentes Botanicos evolvebam, examinabam, sed sufficien-
tiam, non inveniebam. Ipse itaque theorema formatum ad du-
ctum praceptorum logices demonstrare, annitebar. Ast infeli-
ci plane successu. Quo magis avide praesentiam probare labora-
bam eo magis de opposito convictus reddebar, nimurum vix esse
probabile talia dari vasa in plantis, qualia a Botanicis ex-
hibitentur, succifera nempe adeo exigua ut nullis unquam
microscopiis lumen detegi queat. Novitas propositionis &
multitudo sufficiens argumentorum quae continuo crescebat me
impulserunt, ut prius thema, non nisi mancum exhibendum, mitte-
rem, & dictum casu oblatum novum eligerem, cuius quidem ex-
positionem iamiam publici iuris facio. Testimonium paeclarum
sane est, quam multa adhuc restent demonstranda, quam parum cer-
to iam constet & quam facile sit sibi persuadere, certo se convi-
clum esse de veritate propositionis cuiusdam, quum tamen re ex-
actius disquisita oppositum se manifestet; immo argumenta ana-
logica & probabilia saepius fallere. Minime quidem hoc speci-
mine praesentiam omnium vasorum in plantis negare cu-
pio, quum ipse sub fine de aliis vasis quaedam adducturus sim
contra vero ista vasa infinite parva cum consequentiis ana-
logicis ex corpore humano desuntis minus probabilitia reddere.
Certitudinis evolutionem magistris, principibus Botanices derelin-
quam: ipse tyro, non nisi per semestre unicum Botanicum adhuc
agens, dubia tantum, forsan ex defectu cognitionis principio-
rum, forsan ex defectu perscrutationis omnium scriptorum bo-
tanicorum, ortum ducentia, proponam, litem decidere mihi non
sumam. Interim faxit summum Numen ut & hi labores in sui
gloriam & Botanicorum incitamentum ad ulterius perscrutanda
abdita naturae mysteria cedant.

I. N. I.



I. N. I.

§. I.



Plantam esse corpus naturale organico-hydraulicum sensu motuque spontaneo destitutum, è corpore, cui innascitur, nutrimentum hauriens, experientia quotidiana convincimur.

SCHOL. 1. Minime ignoro, datam notionem multis in locis esse vituperandam; ast fateri cogimur, aliam vix posse erui. Quoad characteres, omnes sunt essentiales plantae, & proprietatem constituent. Vtique quidem non sentire, & se sponte non movere, sunt ideae negativae; ast quæsio, dic nobis, quisquis es positivus earum loco, nos quidem fugiunt. Primæ enim sunt ideæ, & natura locupletissima alias mater idearum formandarum sane novercam hic egit, cum nullum nobis exhibuerit ens, cui comperat oppositum sensationis, qua absolute positivum, nisi plantas & mineras, ubi vero ista qualitas obscure tantum cognoscitur.

SCHOL. 2. Dices, pro stylo philosophico est nimis longa, & per enumerationem characterum tantum parata: regero, rite se habere dicta tua. Sed si placet, des genus proxime superiorius, s. idem communem de sensu & motu negatis. Sat arduus labor est, perquenti optime patens. Ne tamen plane incassum labo-

B

rasse

rasse videamus, aliam dabimus notionem breviorem, sed magis abstractam; esse plantam *corpus organico-hydraulicum*, non spontaneum.

SCHOL. 3. Neque abundantiam notionis unquam celabimus, cum justo titulo admiserimus. Cui enim botanophilis usui notio abstracta data? en unquam ullus inde plantam certo ab omni alio corpore distinguere potest? Demio vero uno charactere, statim notio manea, redditur.

SCHOL. 4. Haeret vero ratio difficultatis, & imperfectionis, quia infinitae variae, & infinite parvae plantae, comprehendendi debent sub eadem notione, nec non quia natura ipsa nullos dedit limites regno vegetabili. Duntur urticae marinae, corallia, imodantur foetus per funiculum umbilicalem & placentam utero adhaerentes, quae partim plantae, partim animalia, partim mineralia sunt.

§. II.

Remotis, quae circa notionem dubitationes formari potuissent, jam videbimus, cui bono sit. Loco itaque primo occurrens character organico-hydraulici corporis docet, mutationes motus, effectus varios, & relationes locum hic obtinere, ita tamen, ut ratio eorundem tum ex ipsa structurz, tum e circumstantiis sit deducenda. Ipsa vero phaenomena omnia debent esse compossibilia. Haec erunt tria ista primaria momenta, ad quae sub explicacione phaenomenorum quam maxime est respiciendum.

§. III.

Compositi cujuslibet essentia consistit in modo compositionis, & determinationibus partium componentium. Quicunque igitur mechanice philosophari de planta vult ei constent partes ipsae & modus compositionis, necesse est. Utique ergo operae pretium est, in structuram plantae sollicite ut inquiramus.

§. IV.

Structuram plantae quod attinet, parum eam hucusque

que cognitam habemus, quanquam sumniopere desideratam. Prostant quidem GREWII, MALPIGHII, LEEVWENHOEKII, ut alios taceam, anatomiae plantarum. Ast si dicere fas est, ingentes ubivis adhuc dantur defectus. Minime vero ideo viros hos summos taxandos esse velimus, cum ipsius objecti ratio ulteriores in anatomiam plantarum digressus impedit, quae cuilibet experientias repetenti sat patet. Sunt vero huc potissimum referenda inconvenientiae.

1) Exiguitas objectorum, quanquam dentur plantae humanam longe superantes magnitudinem, tamen aequae exiguæ manent partes, ac in minimis plantis, cum nec hucusque optimis microscopiis ulla vasorum cavitas detegi potuerit; ita ut studiosius mihi inquirenti adeo absolum haud visum sit, eorum praesentiam negare & hucusque praedicata vasa fibras parallelas dicere, quorum ductu fluida aequae adscendunt.

2) Simplicitas. Fibrae enim & membranae plantarum partes similares omnes absolvunt; organa adeo copiosa, ut in homine, desunt, structura simplissima sine multis determinationibus, ideas non adeo distinctas formare finit.

3) Soliditas, qua tam facilem separationem non admittunt. Arctissime enim sibi invicem applicatae existunt fibrae, & quae separatio fieri potest, ut plurimum laesio nem, l. statum p. n. inducit. Imo observatio notatu sat digna mihi quidem appareat, quod cuilibet naturae regno singularis soliditatis densitatis & duritiei gradus competit. Lapidibus, mineris, minime structis, summus gradus, plantis mediis, paulo mollior: animalibus ultimus molliissimus gradus. Levior tamen ubivis valet exceptio, tum de integris objectis, tum de variis partibus. Alius vero densitatis ordo concipi nequit, cum quo plures, magis

B 2

com-

compositi, & variis motus possibles reddendi erant eo minor etiam resistentia s. rigiditas necessario requiratur.

4) Defectus usus non sat plausibilis, hinc ut plurimum Botanici circa historicam denominationis cognitionem persistunt, vix structurae totius plantae mentionem facientes. Totum inde hoc studium abjectum habitum. Cum ē contra summae utilitatis fore certo persuasus sum, quod unico saltem e fundamento sat patebit. Generatio, objectum illud Omnipotentiae divinae hucusque tantis oboluta est tenebris, praesertim ob defectum observationum sufficientium, tum quia homines vivos secare non licet, tum animalia sine crudelitate aperiri nequent, tum quia sumptus saepe privatorum vires transcedunt. Contra in Botanica sine crudelitate & impensis, copiosissimae quotidie observationes, & sectiones suscipi queunt. Nonne diu & sufficienter his institutis, difficultates explicationis saltem ex parte ruerent? Usus jam ut taceam oeconomicos & camerales.

5) Ipsa huc pertinet instituti ratio, dum anatomiā omnium plantarum simul inquirere hucusque conati simus, hinc nil, nisi summe indeterminata & paucissima obtinuimus, quae ubivis applicabilia & reperiunda essent, minime tamen ignorantes a) nos esse entia finita parum tantum distincte simul perspicientia, b) quo plura esse inferiora, quibus ideae debent competere, eo minus compositam i. e. eo magis simplicem reddi ideam, hinc pauca nobis cognita fieri. c) Nos in theoria animalium minime hoc egisse, ut omnium animalium structuram generaliter & simul inquisivissimus, sed per mille annos contenti structura humana, vix nostris temporibus rationalem phaenomenorum fientium modum suppeditare valemus, minime solliciti, an eadem, sub iisdem circumstantiis etiam de reliquis obtinerent animalibus. E contra nihilominus vires

vires nostras transcendere cupimus, & prima dum circa scientiae incunabula adhuc versamur, jam universalem theoriam optamus, quam non nisi per abstractionem ex individuorum, specierum, generum, ordinum & classium naturalium elaboratam theoriam obtinere valemus, quas vero theorias speciales sufficienter excutas non habemus. Melius itaque ageremus, si de cuiuslibet generis vel ordinis, ast naturalis, structura, determinationibus & theoria solliciti, universalia mittteremus, saniora certo inde provenirent. Astronomorum illa olim exhibita optatio imitanda; botanophili amici in classes abirent, quilibet unam plantarum speciem sibi proponeret; verticillatae, compositae flosculofae, umbellatae, gramineae bulbosae, scandentes, repentes &c. plantae collegium formarent, imo per partes incedendum esset, ut anthera, stylus, filamentum, fructus, semen, petiolus, pedunculus, parenchyma, liber, alburnum essent themata, integros annos exigentia, sic tandem recta via, non vero, uti hucusque per saltus ad exoptandam scientiam physicam plantarum perveniremus.

6) Instituti denique ratio inversa, dum unice à priori per disquisitionem anatomicam actualem ad structuae cognitionem pervenire studuimus, cum neque in corpore humano, ubi tanta jam detecta habemus circa minima adeo sollicite ac profunde versemur. Nervorum enim structuram nemo anatomice cognoscere cupit. Sic agendum nobis in plantis, ut ibi solemus, nempe ad phaenomena attendendum, & exinde ad structuram argumentandum. Sane D. MOELLER in Physicalisch-Oeconomischen Abhandlungen T. I. p. i. rite hanc indicavit & sequutus est methodum.

§. V.

Sunt vero vasa, de quibus hic speciatim agendum cavitates oblongae parietibus adeo solidis, ut fluida continere

nere queant, constitutae. Haec retentio vel cum, vel sine motu cogitari potest.

§. VI.

Varias botanici vasorum species exhibuere, nempe succosa, cartilaginea, & lignea, gradatim robustiora. Priora tenuissima succis vehendis dicatunt, sequentia aetrem movere & continere docuerunt: ultima durissima interdum succis vehendis tantum destinarunt, ut plurimum vasa priora indurata & coalita venditantes. In genere de vasibus succiferis plantarum notandum, ea sic affumi, ut in utraque extremitate sint hiantia, secundum longitudinem plantarum maxima ex parte posita, & cavitate adeo subtili praedita, ut nullis ne optimis quidem microscopis hucusque detegi potuerit. Computantur esse fibras, talium enim sub forma nudis se oculis fistunt. Fibras vero has admodum compositas, partibus plane similaribus nempe minoribus, lumina admittentibus constare contendunt. Cylindrica porro solent exhiberi, qua ratione vel quibus experientiis nescio, ignorant ipsi. Talia dari in plantis vasa dubium esse argumentis quibusdam confirmabimus. Me vero alias non impossuisse botanicis notiones docent praeclara eorum scripta, quorsum refero Boerhav in Histor. plantar. p. 7. ex Malpighio adducentem, fibrillam radicalem pertusam esse infinitis fistulis. Thummigium in Institut. Philos. experimental. §. 199. 200. dicentem. Pedunculus cerasi fibras continet nudo oculo simplices, sub microscopio vero plurium vasculorum minorum congeriem exhibent. §. 202. §. 203. Fibrae ligneae, quae nudo distinguuntur oculo sunt fasciculi plurimum. minorum stupendae prorsus exilitatis. Du Hamel in Philosoph. Vet. & Nova Tom. V. p. 291. unquamque fibrillam sub microscopio 40. aut 50. poris perviam conspicere. Translatorem Halesii statices Vegetabil. in Introd. fibras cannabinas exhibentem esse vasa cava. §. 12. Schil-

Schilling in Specim. i. Phythologiae §. 19. dicentem Fibrillas humoris pervias ob subtilitatem vasa capillaria nuncupari, quarum ut probet subtilitatem summam, ex Rob. Hoek Mikrogr. p. 101. & 114. assert in frusto carbonis lignei diametri unius digiti ultra 5. milliones septingenta viginti quinque millia, in digito autem cubico suberis, ultra mille ducentos milliones talium filamentorum vasa fuisse. Et e LEEUVWENHOEKIO narrat, eum vasorum in arbore unius tantum pedis ambitus numerum ad ducenties decem centena millia, sc. ducentos milliones reduxisse.

SCHOL. Purabunt nonnulli mea cum Botanicorum dictis comparentes, certo me agere impostorem plura & magis absonta illi tribuentem, quam ipsi exhibere voluerint. Fallaciae vero ratio in eo potissimum, quod in eorum scriptis, paucissimis exceptis, stylus philosophicus plane sit neglectus, haeret. Vix unquam definitiones adequatae exhibitate fuere. Exhibitate nunquam probatae & applicatae existunt. Termini ingredientes non explicantur. Hinc factum esse scito, quod dicta eorum de vasis plantarum non semper explicite nam absonta exhibeant, implieite ramen semper, quod ex nexu & comparatione reliquarum sistematici thesum sat patet, e. g. dum contendunt, minimam fibrillam radicalem multas fibras & quamlibet multa lumina singularia continere, dum folii vasa ramorum ad instar expansa, omnia per petiolum, floris & fructus vasa omnia per pedunculum, transire docent. Dijudicare hinc facile erit quid de analogica in homine thesi sentiendum sit, tunicas nempe vasorum Corporis humani, novis constare vasis minoribus, nutritionis & motus quidem causa datis, minora vero illa vasa denuo novis minoribus nutrientibus moventibusque, haecque iterum: & hoc eousque, ut omnis demum imaginatio cum possibili conceptibilitate ruat.

§. VII.

Analogia plantarum cum animalibus certo haud parum fecit ad ea in plantis concedenda, quanquam speci-

specifice sat different. Imo effectus iidem, motus nempe fluidi, expansio, apposito, transitus &c. praesentiam magis certam apparenter reddidere. Quibus tamen omnibus rite inquisitis, probabilitas multum ruit.

§. VIII.

Neque demonstrationibus apparentibus à priori & posteriori destituta thesis apud botanicos mansit. Hinc cum possibilitatis praesentiae vasorum probabilitatem infringere ceperimus, optime agemus, si primo loco, quae circa demonstrationes monenda habemus, exhibeamus, demum cogitata nostra subjungamus.

§. IX.

Mirum sane videtur praesentiam vasorum non ab omnibus Phythophysicis assumtam esse. Praesertim hoc Pontederam retero qui in prima Dissertationum suarum botanicarum, ubi omnes plantae partes exponit, ne verbulo quidem vasorum succosorum mentionem fecit, & 3. tantum partes plantae exhibuit, nempe fibrillas, tracheas, & utriculos quanquam praecipuas omnes istas partes exposuerit ubi hodierni vasorum praesentiam maxime concedunt, nimirum in libero cortice, alburno ligno, medulla, capreolis, foliis, fructibus succulentis &c.

§. X.

Vt plurimum vero sic argumentantur botanici: Manifesto constat fluida aqua, per plantas transire, ascendere, dissipari, ergo viae adesse debent, quae non sunt ipsa tota planta, sed partes, ergo vasa. Ast quae so, an valeat argumentatio, quod fluidum ideo tantum per vasa hujus generis transeat. Secundum logices pracepta antea omnes possibiles casus exhibendi essent, & reliquis sufficienter remotis demum legitima esset consequentia. Quod vero revera ali dentur possibiles modi per inferius dicenda patebit.

§. IX.

§. XI.

Fluida, continuant defensores vasorum, per varium circulum varie mutantur in plantis, hinc succus radicis, foliorum, fructuum & gemmarum adeo diversi sunt. Talis qualitatum mutatio cogitari nequit, nisi mediantibus vasis vario modo contortis, circulum in qualibet parte alter determinantibus, ergo necessario dari debent vasa in plantis. Ast iterum hic per enumerationem inferiorum, compossibilium incedendum fuisset. Dantur enim utique plures modi succos mutandi, imo primarius est, & maxime, communis motus intestinus naturalis qui innumeris fere miscelas & qualitates inducit, quanquam vasorum ope destitutus. Evaporationes, & subtilisationes succorum in foliis & fructibus extra vasa fientes, (in utriculis nimirum,) alium dari modum possibilem loquuntur. Et si etiam concederemus dari talia vasa, quomodo concludere possunt, ea continere rationem mutationum? Nemo enim modum fiendi hucusque exposuit, neque concipere possumus, quomodo exinde, quod sint diversi cylindri cavi, fluat varias inde miscelas fluidorum obtineri. Requireretur, ut specificae qualitates & determinationes vasorum constarent tales, unde tuto ad similem, & nullam aliam qualitatem fluidi concludere liceret. Latent vero haec rationes, bona quanquam fide phænomenon hoc pro rationato præsentiae vasorum sictorum venditetur.

§. XII.

Porro argumentantur: Videmus ex caudicibus dissecatis, lactescentibus succum copiose prodire. Imo si parum exsiccata est planta videmus succos non ex tota seæi trunci superficie, sed ex determinatis locis in ambitu, sub forma guttularum minimarum prodire, ergo debent ad dictos poros advehi, & cum eadem sit ratio, quocunque loco caudicem secaveris, ubivis erunt tales partes ca-

C

vac

vae succo repleteae, ergo dantur vasa, ergo cylindrica, infinite subtilia. Ast quælo videamus, an rite argumentati sitis. Quod adsint cava in quibus fluidum prodiens antea haeserit, hoc valet: an vero sint cylindrica, summe exigua, in unum continuata per totum truncum, nunquam inde probari potest. Porro fallaciam non causae ut causae committunt, dum vasa sua data accusant, ea esse, quae fluidum emitterent, cum contra quantitas succi protrusi in relatione ad diametrum vasorum salvo quanquam numero, nullam habeat proportionem per inferius dicenda.

§. 15 & 16.

§. XIII.

Contra vero centum dantur momenta, quibus praesentiam vasorum exhibitorum dubiam reddere valeo. Primo jam loco contra proprietates vasorum requisitas proponam dubia, dein vero actualem eorum defectum iis in locis, ubi primario necessaria sunt, exhibebo. Ultimo alium demum fiendi modum addam.

§. XIV.

Inter proprietates vasorum referitur, quod sint cylindrica, per totam plantam continuata, tam exiguи diametri, ut nullis unquam visibilis esset microscopis, fibrae vero ipsae vel tota vasculi moles sub microscope detegi valet, hinc numerabilis est. Quod vero attinet primum characterem cylindricitatis, non omnes in eo consentiunt, dum aliis secundum analogiam humanam, conica figura praeferenda esse videtur. Ast si hoc, sequitur, ut in quodam loco diameter longe major sit; sed nullibi visibilis, ergo nec differentia à posteriori constat, porro, si ibi, ubi maxima apertura est, invisibilis plane est diameter, qualis quælo erit in fine canalis conici? certo nullus.

§. XV.

Alter characterum, qui mihi quidem impossibilis videtur

* 30 (*)

detur, est exiguitas cavi tanta, ut nullis detegi queat microscopis. Multis sane laborat difficultatibus talis idea. In quantum sint exigua haecce vasa per exemplum exhibere juvabit, ut inconceptibilitas eo sensibilior reddatur. Per experimenta Thummigii in Diff. de propagatione per folia §. 18. & repetita propria, constat, vasa in foliis distributa, apparenter ramosa talia non esse sed quamlibet fibram tum nudis oculis tum instrumentis usque ad petiolum qua propriam fibram produci posse. Optime haec disquisitio in foliis instituitur, l. sub praeparatione sceletorum l. si sceleta ope aquæ calidae iterum emollis, ubi sponte quasi separantur. Sigillatum ergo quodlibet vasculum l. fibra ex planta per petiolum transiit. Ponamus vero per hypothesin adesse in folio v. g. tiliæ centum tales distributiones ramosas, ergo sequitur omnes has per petiolum transisse. Iam vero ipsa petioli crassities lineam circiter explet, & continet cuiculam externam, ex utroque latere parenchyma copiose suffusum, sequuntur fibrae, sic dicta vasa, denique in centro pars medullæ haeret. Spatium ergo totum pro vasis relictum, est propemodum quarta pars lineæ, in tanto spatio concipe quaeſo 100. vasa, si in antecessum adhuc soliditatem parietum canalium, & interſtitia inter sic dicta vasa derraxeris = $\frac{1}{2}$ spatii totius, quale erit totum spatium, vix $\frac{1}{200}$ lineæ. Jam adde rete in omnibus foliis esse duplicatum, verus ergo diameter vasculi simplicis $\frac{1}{100}$ lineæ; Qualis vero tunc quaeſo redditur soliditas parietum sub tanta exiguitate? Nonne, si exactius rem examinaveris contradic̄tio latet? Divisio enim in infinitum actualis, soliditati & densitati partium per compositionem manifesto contrariatur. Vix tantam soliditatem i. e. crassitatem parietes habebunt, ac vasorum diameter aequali est, si analogice argumentari licet, ergo ponamus crassitatem tunicarum esse = $\frac{1}{100}$ lineæ. Concipe nunc enormous & incredibilem subtilitatem tenuitatem plane inconceptibilem, fili aranei partialis summam & incredibilem subtilitatem fere aequalem, cuius compositi resistentia sensibilis nulla, & concipe resistentiam dissectioni, lacerationi, vel ut eo melius fallaciae desint macerationi & putredini oblatam. Nonne hic vis infinite parva vim relative infinite magnam superat? Computes quaeſo pressionem illam succi sat magnam, quam probat protrusio subitanea & copiosa ejus in lactescientibus, vite, betula. Nonne subtilitas vasorum eorundemque omnem possibilem resistentiam superat?

rat Accedit huc expansio & rarefactio, tum a calore solis quo-libet momento variabili, tum a motu intestino genita fluidorum.

§. XVI.

Si etiam concedere velles, talem diametrum adhuc conceptibilem esse, quaeſo reduc hoc folium cum omnibus suis vaſis ad ortum ex gemma. Ibi 7. ad 10. folia ſimul includuntur ſpatio unius lineae. Petiolus vero ad ſummum vix $\frac{1}{2}$ folii exigui explet & tamen vaſa folii continent. Erit itaque calculus ſequens; ſit nucleus totius gemmae delineatae = $\frac{1}{2}$ lineae. Ergo unum foliolum occu-pabit ſpatium transversum ſumtum = $\frac{1}{20}$ lineae. Iam vero unicum vaſculum per §. praecedentem erat $\frac{1}{200}$ lineae, ergo in gemma erit diameter vaſculi = $\frac{1}{2000}$ lineae. An forſan jam difficultas conce-pitabilitatis, probabilitatis imo poſſibilitatis magis ſenſibilis reddi-tur? Idem ratiocinium imo longe major exiguitas vaſorum valet, ſi de germine ulteriora exponere animus eſſet, ſed brevitati studio-ſi, quia ſimile eſt argumentum, silentio illud praeterimus.

§. XVII.

Vt vero, ſi operamotiſatis vaſorum abſurdo exhibito praeve-nire placaret, & huic occurramus, ſcito, vix botanicum da-ri, qui ramoſitatē hanc concedat, niſi eos, quorum imagi-natio nimis vivida cor, venas, arterias, glandulas &c. in plan-tis proſtare perſuasit, ſine autem trunco vaſorum, nulla con-ceptibilis manet ramoſitas, quos vero truncoſ experien-tiae microſcopiae non probant. Vt vero noſtris etiam ex-perientiis propositionem certiorem reddamus, exhibemus folia, quorum tam ſceleta, quam ſtatus naturalis, detrac̄ta tantum in ad-versa parte cuticula, dicta Thummiggi l. c. manifeſte nos edo-cuere. Imo ſeparationem fibrarum ulterius in ſemiputridis figi-latim per pedunculum usque continuare potuimus. Si vero quaedam caſu rumpebatur fibrilla antequam ad finem petioli per-ducta erat, nunquam ſe qua ramus cujusdam exhibuit, ſed ſine in-ſertioſi vestigio ſenſim tenuior reddebat. Eadem expe-rienta in radice Dauci ſativi radice lutea T. ſaepius iſtituimus. Ne-que ſi ramoſa eſſent vaſa, juſta propoſitio imminutionis ubi viſ obſervatur, quae tamē, ſi fibre mera vaſa eſſent, neceſſaria foret. Optima vero demonstratio ē ſtramonii fructu spinoso peti pot-est, ſub cuius coriſe copioſiſſimae dantur & cratiſſimae fibre, vaſa dictae, quae infinite complicantur, centena ſpatiola ab undiqua-que circumdata formant, quibus ut plurimum ſpinæ iſſiſtunt, for-matae

matae per congestionem fibrarum ē vasis marginalibus areolarum ortis extorsum vergentibus trans parenchyma. Innumerae ibi apparenter dantur anastomoses, ast si l. recentes vel non-nimis ex-siccas exactius inquiris, patebit, semper fibras in gyrum agi & in se redundes quasi totam areolam ambientes esse; imo saepe numero ad pedunculum ex parte recurrentes non vero in se invicem insertas esse, contra quamlibet simplicem visu fibram, constare pluribus fibris proxime oppositis lateraliter parallelis. Sub examine, exhibito microscopio medii effectus, subtilissima puncta reperta sunt, varie per pedunculum posita, non fasciculatim: primaria autem structura eadem erat, ac in radice Dauci transversim secta, nempe striae à peripheria ad centrum usque separatim tendebant. Interspersa erant minima foraminula ad flam-mam candelae radios egregie transmittentia. Punctula nigra fuisse fibras ligneas sectione parallela cognovimus, quae dum ad calicis basin orbicularē persistentem perveniebant, planum solidum tenuē & sic ipsam calicis substantiam formabant, e cuius margine superiore subito copiosae, plane rotundae, longe crassiores fibrae oriebantur, ad 30. circiter majores, 20. minores. Imo ipsae notiones motus obstant, quo minus ramositatem vasorum concedere queamus, dum necessario inde fluenter, semper spatium, in quodabit fluidum crescere. De canalibus vero connexis docet hy-draulica, celeritates esse reciproce uti capacitates: esset itaque in fine plantae i. e. ad folia & fructus motus ipse tardissimus, cum tam ob evaporationem ibi sit relative celerimus. Insuper vix fati fluidi afferri posset, ut rami omnes sint decenter repleti, per inferiorem adeo exiguum truncum ad tantam ramositatem, tum quia, quo plures rami, eo plura puncta aerem contingentia, hinc per-spirantia. Ast constanter decenter sunt repleta, nisi circumstan-tiae rem mutent.

§. XVIII.

Non obstante calculo exhibito, negataque vasorum ramositate objici posset, materiae divisibilitas in infinitum, & inde possibilis tam exiguum vasorum probari. Falicitatem vero hypotheseos demonstraram in scriptis Metaphysicorum legimus. Hinc ruit argumentum. Ast alia ratione magis plausibili opponi potest, optime tam exigua dari vasa, quia fluidi transmittendi particulae aequae & nullis, neque perfectissimis miscropiis, imo nec ope solaris unquam visibles. Ergo eadem estratio transmittentium & trans-

mittendorum. Respondeo, valet experientia 1) de fluidis 2) simplicibus, non vero 1) de solidis 2) & mixtis. Si itaque verum esset, fluida plantarum esse mere aquae, staret sententia: ast omnia cum sint saponacea, i. e. aquosa particulis salinis & oleosis mixta, de quibus physica docet, ibi ob partium immixtorum majorem soliditatem & gravitatem specificam, cohaesione esse majorem, i. e. fluida inde reddi viscida. Insuper, saline partes nunquam adeo subtile sunt & reddi queunt, nisi in ulteriora sua resolvantur principia, quod natura nunquam praestat, acidum enim & alcali simplex, viribus naturae apparenter sunt irresolubilia, sequitur itaque ut tam facilis transitus multis adhuc laboret difficultatibus. Praesertim cohaesio fluidi major, & partes crassiores obstant.

§. XIX.

Primaria quidem plantarum salia acida sunt, quae semper fluida & summe subtilia, hinc spes transitus adhuc superesse videtur. Ut itaque plane idea possibilitatis ruat, operae pretium est, alia exhibere argumenta. Nemo sane negabit, terram esse crassissimum, prae reliquis immutabile, vix destruibile & resolubile, semper, quamquam varias induat formas, solidum, crudum quoad minima manens. Saltim hoc valebit, si etiam divisibilitas terrae eousque continuaretur, ut aciem oculorum partes effugiant, vix tamen ad inconceptibilem adscendet subtilitatem, qualis est diametrum vasculi §. 15. 16. exhibitus. Ast talis terra copiosissime intrat & apponitur, testantibus id partibus plantarum solidis & incineratione. Harum terrearum partium si adhuc concederes transitum possibilem, dabo rudiores partes, nucleorum nempe, quales in Amygdalo, Corno, Acacia, Pruno, Iuglande, Avellana &c. offendimus, harum materia sat crassa per vasa pedunculi necessario transivit, unde enim alias intra fructum? Hanc subtilitatem adhuc concedenti dabo ultimum per pensandum. Pars terrea simplex & per se est solida, (nisi transmutationes essentiarum docere placeret contra principia Metaphysica) nunquam fluida. Solida vero per se ex adhaesione non moventur per vasa capillaria, nisi fluidis sint intermixta, ergo terreae partes per plantas mortae debent esse solitae. Ergo aqueis circumfusae, si ergo intrant vasa, ut adsint fluidae circumdantes sequitur: ponamus vero minimum possibilem casum, nempe non plures tribus particulias aquae circumdare illam, particula terrea ocupabit tertiam tantum partem luminis, imo si geometrice figuram delineas circuli cum inscripto triangulo aequilatero

tero vix $\frac{1}{3}$ occupabit, habebit, itaque particula terrea magnitudinem $\frac{1}{3}$ totius luminis vasculi pedunculi §. 15. exhibiti, ergo esse aequalem $\frac{1}{3}$ lineae. An tam exiguae sint partes nucleos componentes, lectori praejudiciis & hypothesis non praeoccupato derelinquam. Moneoque tantummodo adhuc salium, ad solutionem requisitorum, praesentiam calculum facile duplo majorem, hinc magnitudinem particulae terreae tanto minorem denuo reddere.

§. XX.

Obstat adhuc unica instantia, contra eum nempe adhuc disputandum habemus, cui placeret incognitum, per aequem nisi magis incognitum explicare, nempe qui fundamento analogico ex homine, similitudinem vasorum nerveorum & fluidi animalis, nec non foetus vix delineati cum vasis & fluidis plantarum nobis obtrudere vellet. Quoad prius, quia convicti sumus adesse debere fluidum in motu ad directionem dictorum filamentorum nerveorum, & quia natura nobis similem canarium structuram pro motu reliquorum fluidorum exhibet, eodem modo analogice tantum ad vasa nervosa introducenda perducti sumus, nullam aliam cum habeamus demonstrationem. Iisdem de reliquo argumentis innititur probabilibus tantum theoria nostra nervorum, ac de plantis jam dum exhibui. Altos vero esse possiles modos explicandi sequens probabit expositio. Si reples totum nervum cellulis subtilissimis fluido nerveo turgidis, eadem erunt phaenomena sensationis & motus. Quomodo vero motus & sensus simul fientes, imo particulariter non in omnibus nervis involutis simul, difficulté est explicatu, nisi animam per totum corpus diffusam censes quia modus agendi, & sedes animae in corpore nondum constat. cuiilibet theoriae circa nervos haec & aliae manent difficultates.

§. XXI.

Occasionaliter alii argumento occurrentum venit, ubi ita argumentari solent: In cerebri substantia medullari actu dantur vas a fine eo tamen, quod diameter detegi vel subtilissimi fluidis imitatis expleri queat, ergo possibile esse debet, talia esse vasa, & talia dari fluida, quae hucusque negavi. Speciosissimum quidem est argumentum, ast attentius perquirenti nullius plane momenti. Vasa in medulla non nego, sed queso 1) an sint tam exigui diametri, uti §. 15 & 16. dictum: vix credo, cum corticis vasa ad huc sint crassa satis. & à natura nunquam committitur faltus, 2) quale esse fluidum, quod transit, nonne levissimum, subtilissimum aequi invisi-

bile,

fibile, ac vasorum cava, quanquam accumulatum, uti circa medullam oblongatam. Contra omnia in plantis. Vasa centies plus minora, fluida millies crassiora ubivis visibilia. Imo negata repletio potissimum praebet fundamentum contra dissentientem argumentandi. Fluida enim, quae ad injectiones adhibentur, sunt terebinthinae oleum l. spiritus; vel spiritus vini, cui succus vegetabilis ut ligni Santali, cucumeris solutus pro colore inhaeret, imo si placet parum cerae purissimae. Sunt vero prolata fluida vegetabilia, longe subtiliora, quam in statu erant naturali. Nam terebinthina in oleo plane fluida redditia est. Spiritus vini partes subtilissimas sulphureas, salinas, terreas inflammabiles tantum continet, relictis terreis solidis; quod idem & de extracto Rad. Curcumae L. sancti rubri &c. valet, ubi partes solidae remanent, quanquam & haec omnes olim per vasa plantarum minimum centies minora transierint, & quoad ceram, ea non modo per plantae vasa, sed & animalium structuram subtilissimam ad transitum sat apta & subtilis fuit, hic contra intrare non amat. Nonne hinc à posteriori improbabilitas possibilitatis sat patet?

§. XXII.

Circa foetum, alteram nempe instantiam lubenter fateor, plura mihi, quam aliis Physiologis non constare. Operaे ideo utique pretium est, prout supra dixi magis sollicite in generationem, foecundationem & evolutionem foetus in plantis inquirere, ut forsan inde lumen theoriae humanae affulgeat. Diffiteri tamen nequeo nunquam mihi arrisisse thesin, partes hominis omnes plane delineatas & structas in embryone foecundato haerere, quibus nil nisi evolutio accederet, non quidem ideo, quia talium vasorum possibilatem olim non crediderim, cum hesterna & nuperima sit idea haec negativa, sed quia mihi materiae divisibilitatem in infinitum appareret probare videbatur, de cujus tamen falsitate à priori conctus sum. Magis jam arridet, ex parte tantum delineatas esse partes foetus primarias, cor, cerebrum cum capitulo; loco vero viscera & artuum vix opus est determinationem plenariam assumere, si tantum vasculum loco eorum datur, sensim abundantia fluidi, & pressione extrosum ulteriore ramositatem inducens; fibras, parenchyma, membranas & ossa formans. Impossibilem non esse datam evolutionem loquuntur quotidianae experientiae. Nemo in erucis structuram papilionum delineatam l. credit vel vidit, tamen inde fuit; neque rana prima cute tecta, structurae delineationem sicut manifesto palpabilem.

Pd 2231



PA → 2C

ANIC

B.I.G.

Farbkarte #13



SPECIMEN PHYSIOLOGIAE PLANTARVM I.

Q V O

D V B I A

C O N T R A
V A S O R V M I N P L A N T I S
P R O B A B I L I T A T E M

P R O P O N V N T V R :

Q V A E P R O G R A D V M A G I S T R I

C O N S E N S V A M P L I S S I M A E F A C V L T A T I S P H I L O S O P H I C A E
P U B L I C E D E F E N D E T

C. F. J A M P E R T. M. D.

H A L A E D I E 15. O C T O B R. M D C C L V.

E X O F F I C I N A F Ü R S T E N I A.

8.